





75

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICO - CHIRVRGICA

DE

# ABSCESSUUM & ULCERUM INDOLE DIVERSA

1745  
6b

QVAM

AVSPICE DEO PROPITIO  
CONSENSV ATQVE AVCTORITATE  
AMPLISSIMI ORDINIS MEDICI  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE  
VIRO ILLVSTRI EXPERIENTISSIMO EXCEL-  
LENTISSIMO

## DN. JOANNE JVNCKERO

MEDICINAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROFESSORE  
PVBLICO ORDINARIO

DECANO H. T. SPECTATISSIMO  
DOMINO PATRONO PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SVO  
PARENTIS INSTAR VENERANDO

## PRO LICENTIA

SVMMISQUE IN ARTE MEDICA HONORIBVS ET PRIVILEGIIS  
DOCTORALIBVS LEGITIME IMPETRANDIS

H. L. Q. C.

D MAII ANNO MDCCXLV.

PVBLICO AC PLACIDO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR

## FRIDERICH GOTTLÖB LEUBE HALENSIS.

HALAE MAGDEBURGICAE  
Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.



DISSERTATIO IN AVGURALIS MEDICO.  
CHIRVRGICA  
DE  
ABSCESSVVM ET VLCERVM  
INDOLE DIVERSA.

PROOEMIVM.

Quamquam *Chirurgia*, pars Medicinæ non solum antiquissima, sed & nobilissima, immo si usum eius spectes, admodum necessaria, tantos omnino fecerit progressus, nostro quidem seculo, ut ad summum pervenisse gradum facile videri posset hodie; præsertim si de *instrumentali chirurgia* sermo sit, quæ chirurgiæ *mediceæ* in tantum quidem recte opponitur, in quantum *haec de medicamentis externis, illa vero de instrumentorum applicatione* est follicita. Magna tamen utriusque chirurgiæ, nostro etiam tempore, deprehenditur neglectio, idque non solum ex parte Chirurgorum, a quibus chirurgia medica non facile expectari poterit, sed ex parte ipsorum etiam Medicorum quorundam, qui chirurgiam Medico quasi indignam vel prorsus negligunt, vel primis modo labris degustant. Quid mirum itaque, si in rite diiudicandis & congrue tractandis corporum læsionibus externis, tam graves saepe committantur errores, ubi Chirurgus non solum in gravioribus, sed & levioribus aliquando casibus, salutari Medici consilio, Medicus autem auxilio prudentis Chirurgi plerumque destituitur, Optandum itaque esset, ut Medici præsertim in chirurgiam, si non instrumentalem, saltim medicam diligentius incumberent; ita enim damna ista, quæ ex Chirurgorum vulgarium inficitia in genus humanum redundant, eo me-

4      *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

lius & facilius præcaveri possent. Sed optandum etiam foret, ut Chirurgi, instrumentalem chirurgiam dextre exercentes, salutaribus Medicorum consiliis frequentius, quam vulgo quidem fieri solet, uterentur. Præfens nostræ dissertationis argumentum argumento esse potest, quam necessaria sit Medico chirurgiae medicæ scientia, & quam necessarium sit Chirurgo prudentis Medici consilium, si prior de abscessuum atque ulcerum indole diversa rite & prudenter iudicare, posterior autem utrumque corporis affectum, ea qua decet ratione congrue tractare velit.

CAPVT I.  
DE ABSCESSV.

§. I.

Tumores tam *calidi* quam *frigidii*, quando medicamentis resolvi & discuti non possunt, vel etiam interdum perverse tractantur, in corruptiones & lœsiones apertas, & quidem pro differente conditione partium solidarum & fluidarum, iam in *abscessus*, iam in *ulceræ* abeunt.

§. II.

Quid vero sit *abscessus* ante omnia erit definitum: est nempe stasis sanguinea, arctiore spatio circumscripta, & in nodum collecta, ordinarie in partibus porosis & sufficienti sanguinis accessui destinatis contingens, cuius beneficio partes sulphureæ, putredinem minitantes, successive subtrahuntur, & reliquæ crassiores in pus convertuntur.

§. III.

Ex hac definitione patet, quod hic agamus de *ab-*  
*cessu*

scessu strictiore significatione sumto, excluso *latiore* ista acceptione, qua HIPPOCRATES in scriptis suis frquentius usus est, & de *αποσωσι* seu *αποσηματι* iam *κατ', iam vero *κατ' επιγραφην* exposuit, atque per illam materiæ morbosæ ex partibus interioribus ad exteriores depositionem, in febris præcipue acutis sæpius contingentem, per hanc autem abscessionem cum subseguente aliquando effluxu humoris peccantis denotavit. Sicut enim *latior* iste abscessuum significatus non semper involvit materiae abscedentis & depositæ maturationem, sed interdum felicem discussionem admittit: ita *strictior* acceptio, de qua nostra definitio valet, talis est indolis ac conditionis, ut in corruptionem purulentam absolute commutetur.*

§. IV.

Differit autem *apostema* strictæ sumtum, de quo nos hic agimus, a reliquis affectibus inflammatoriis, in eo potissimum, quod *abscessus* sua natura ad suppurationem tendat; reliqua autem inflammations non facile abeunt in suppurationem, nisi quidem incongrue tractentur. Inflammatio enim *erysipelacea* & phlegmondea, quæ per se & sua natura ad suppurationem non inclinat, tantum est superficialis, & plurimum æqualis, ideoque motus tonicus non adeo est relaxatus & enervatus: in abscessu autem inflammatio est elevata & profunda. Porro differt a furunculo; nam in abscessu stasis sanguinea in substantia porosa residet, in furunculo autem stasis intra sua vasæ contingit; abscessus furunculum magnitudine quidem superat, sed in furunculo dolores longe sensibiliores sunt, quam in ab-

A 3

scessu;

6 *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

scessu; unde etiam germani dicunt: *Es thut so wehe,  
als ein Blut-Schwähren.*

§. V.

Jam *phenomena* singula paulo curatius exponamus, ex quibus præsentia huius adfectus dijudicari possit. Abscessus vel apostema exhibet tumorem durum, in nodum collectum, in ambitu autem colorem rubicundum. Oritur abscessus maxime in partibus sanguineis, efformat infarctum, & consequenter inflationem, rubentem, duram atque densam. Supervenit mox calor, qui successive in æstum mutatur; hic æstus autem in dies augescit, donec tandem circa diem quartum suppuration sequatur. Quemadmodum vero apostema nunquam sine prægressa stasi & inflammatione contingit, a natura autem, propter stasin iam factam inflammatio pro stasi resolvenda suscipitur; sic quia non ex voto resolutio staseos succedit, ad suppurationem properat, particulas agiliores sulphureas, fermentationem efficientes, subtrahendo, particulas crassiores autem in pus laudabile convertendo. Licet vero hæc ipsa suppurationis parti adfectæ aliquod decrementum adferat, nempe per assumptionem aliquarum fibrarum; attamen mixtioni universæ animali nullam perniciem minatur, quæ tamen certissime eveniret, si nulla suppurationis contingere. Nullus enim aliis est eventus, si sanguis in stasin deductus est, quam ut vel discutiatur, vel suppuretur, vel exsiccatur; si ex his autem nihil contingit, simpliciter putreficit. Optima via est discussio, sed in stasi apostemadoide non impetrari potest, ob indolem staseos; hanc sequitur suppurationis, & tandem exsiccatio, quæ tamen sepius multa damna & pericu-

*De abscessuum & ulcerum indole diversa.*

7

pericula inducit, ob constantem proclivitatem in putredinem; putredo autem universæ mixtioni animali est inimica. Tempore suppurationis apostema mollius quidem evadit, sed dolores sunt sensibiores, donec tandem maturescat; simul ac autem apostema vel natura vel arte aperitur, dolores imminuantur, vel nonnunquam plane remittunt.

§. VI.

*De abscessuum subjectis si dicendum quod res est, omnes quidem homines huic morbo generando idonei existunt; in specie autem hunc morbum facilius incurunt plethorici, cacoehymici, & qui spissitudine sanguinis laborant, præcipue vero sanguinei. Maxime omnium qui vitam sedentariam agunt, & commotiones animi sepius experientur.*

§. VII.

Sequitur, ut iam *causas* etiam, quibus producitur abscessus, breviter consideremus. *Causa antecedens* remota est plethora & cacoehymia. *Causa materialis proxima* est stasis sanguinea in quacunque corporis parte sanguifera obveniens. *Causa efficiens* est principium vitale, quod motibus inflammatorii, stasin discussere, & corruptionem putredinosam præoccupare intendit. *Causæ instrumentales* sunt directio & restrictio sanguinis versus stasin, unde non solum inflatio, rubor & calor oriuntur, sed & aliqua sanguinis stagnantis discussio obtainetur, hac enim ratione tenuissimæ particulæ sensim in reliquam sanguinis massam resorbentur, & per diaphoresim evacuantur, languidae particulæ autem, in pus laudabile convertuntur. *Causæ occasio[n]ales*, quæ sta-

fin

8      *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

fin sanguineam producere possunt, sunt vel externæ vel internæ. *Externe* sunt contusiones violentæ, quæ motum tonicum nimium relaxant; item punctiones, scalptiones vehementes, & quæ sunt aliæ. Ad caußas autem *internas* illæ pertinent in primis, quæ orgasmum sanguinis efficiunt e. g. motus corporis vehemens, diæta vinosa, &c. porro animi pathemata ad abscessus generandos multum omnino contribuunt, e. g. iracundia. Denique etiam refrigerationes corpore calente, inter caußas abscessuum occasio nales merito referuntur.

§. VIII.

Caußis breviter expositis, ad *prognosticam* accedo considerationem. Notandum autem generaliter, quod abscessus in partibus internis nobilioribus contingens, plerumque fit lethalis. In partibus vero externis musculosis, omnium facilime ad mundificationem & consolidationem perducitur. Paulo difficultius in partibus exsanguibus, nempe glandulosis, ligamentosis, nerveis & tendinosis consolidatio obtinetur, ob defectum sanguinis purioris, & presentiam ferosi humoris. De abscessibus glandularum in specie notandum est, quod facile in profunditatem tendant, & si accedit perversa tractatio chirurgica, saepius ulcera mali moris orientur e. g. ulcera cancerosa, ob interventum humoris seroso-falsuginosi, & quia materia diutius iusto ibi detenta, maiorem acrimoniam contrahit, & fibrillas arrodit. Apertio apostematis quando longius protrahit, os sium caries produci potest; nam materia acrior fit, & si exitum non invenit, partes substratas arrodit.

E

*De abscessuum & ulcerum indole diversa.* 9

E contrario sectio & incisio nimis mature instituta, ulcera cancerosa & fistulosa facile producit. Sed hoc tantum intelligendum venit de sectione *maiore*, quæ Chirurgis vulgaris est, & quæ motum tonicum nimium relaxat, & sic laudabilem suppurationem impedit; non autem de sectione *minore*, quæ instrumento illo fit, quo venam hodie plerumque secant Chirurgi, mit dem Schnepper. Nam talis sectio, si etiam in primis diebus fiat, multam commoditatem promittit, uti in sequentibus explicabitur.

§. IX.

Hæc de prognosi dixisse sufficient; nunc ad *partem therapeutica* me converto. Primo quidem methodum vulgarem, quæ plurimis Chirurgis est familiaris, breviter attingam; deinde autem peculiarem & succinctiorem abscessus tractandi rationem subiungam. Methodus vulgaris sequentibus indicationibus absolvitur: primo *suppuratio* est promovenda; deinde *mundificatio* est adiuvanda; & tertio *consolidatio* facilitanda & promovenda est.

§. X.

Quod ad primam indicationem, nempe *suppurationis* promotionem attinet, obtinetur illa per relaxationem partium, maiorem adfluxum in partem adfectam, & obstructionem pororum. Ergo omnia remedia, quæ motum tonicum relaxant, motum humorum ad partem affectam augent, & obstructionem pororum efficiunt, suppurationem promovere solent. Huc pertinent gummata acria, leniter stimulantia, e. g. gummi ammoniacum, galbanum; nam hæc gummata in forma emplastri adhibita, penetrant stasim, obstruunt pores, transpirationem liquidi impediunt, & sic suppurationem

B

suppurationem

10 *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

tionem promovent. Spectant huc etiam cepæ affatæ, fermentum panis, mel, variaque ex his composita emplastra & cataplasmata; nec non omnia quæ partem adfectam humectant, qualia sunt quæ principio aquo mucilaginoso prædicta sunt e. g. rad. liliæ. alb. altheæ. Tandem huc pertinent oleosa pinguia e. g. butyrum recens, oleum lini, similiaque, quæ adeo certe suppurationem promovent, ut si statim in principio adhibeantur, omnem spem discussionis eludant.

§. XI.

Quando suppuratio peracta, & abscessus maturus est, ruptio promovetur, vel medicamentis, vel operatione. Medicamenta, qua ruptionem promovent, sunt fermentativæ efficacitæ, ut mel, fermentum pistorium, farina melli mixta, ficus, panis mellitus; si autem ruptio ad ista non sequitur, aut celerior aperiendi via placet, ad operationem fit progressus. Abscessu autem aperto & rupto, pus non unico, sed successivo actu emittendum est.

§. XII.

*Secunda indicatiom undificationem involvit, ad quam progradimur.* Peragit illa medicamentis, quæ fordina & heterogenea removent, invertunt, & sua vi saponea simul abstergunt, ac leniter stimulant; qualia sunt chirurgis dicta digestiva e. g. terebinthina, vitellus ovorum, mastiche, liquamen myrrhæ, aloe, & quæ sunt alia. Hæc medicamenta in forma unguenti adhibentur, plumaceolis excipiuntur, & cavitati abscessus immittuntur; tamque diu applicari debent, donec fordes omnes sint absterſæ & solutæ, crassior materia emollita, atque in pus laudabile conversa. Id quod sufficienter factum esse colligimus, quando abscessus latera æ qualiter rubra facta

*De abscessuum & ulcerum indole diversa.* **II**

facta sunt, & superficies totius cavitatis subcruenta  
apparet. **§. XIII.**

Ad tertiam denique indicationem me converto,  
nempe ad *consolidationem*, quam promovent talia me-  
dicamina, quæ canales molles reddunt & conservant,  
liquida in cavitatem abscessus delata, ab omni putredi-  
ne defendunt, ipsumque aeris accessum abarcen-  
t: qualia sunt balsamica e. g. balsamus de copaiva, de pe-  
ru, arcæi, myrrha, succinum, oleum myrræ p. d. ole-  
um ovorum. His omnibus emplastra discussentia  
imponantur, ad balsama retinenda, & aeris accessum  
impediendum; ultimo vero loco emplastrum stypti-  
cum CROLLII adplicari potest, ut egregia cicatrix  
obtineatur.

**§. XIV.**

Quamquam vero hæc methodus admodum usita-  
ta sit, multa tamen incommoda post se trahit. Partim  
enim chirurgi sæpius in abscessu aperiendo errorem  
committunt, & sectionem serius instituunt, quam fieri  
debebat, unde materia per moram acrior reddita par-  
tes substratas arrodit, & ulcera mali moris nonnun-  
quam oriuntur. Partim vero nimiis emollientibus &  
pinguibus abscessum sæpius corrumpunt, dum copio-  
fiorem affluxum & diffusiorem humorum statim effici-  
ciunt. Hac enim ratione abscessus qui minoris ambi-  
tus fuit, in majorem molem augetur, & labor matura-  
torius impeditior redditur. Quoniam itaque varia da-  
mina & incommoda hanc methodum premunt, aliam  
nunc eamque succinctiorem, in abscessu curando bre-  
viter exhibeo.

**§. XV.**

Quamprimum animadvertisimus, tumorem inflam-

**B 2**

**mato-**

12 *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

matorium discussionem respuere, loco medicamentorum maturantium discutientia præcipue camphorata largius continentur, e. g. spiritus vini camphoratus erocatus rectificatissimus; in centro autem abscessus, maturans aliquod medicamentum adplicetur, vel loco illius post exiguum moram, apostema instrumento illo gallico, quod vulgo vocatur *der Schnepper*, mox incidatur, licet abscessus nondum perfecte sit maturus; nam hoc instrumento vulnus inflictum, uti notissimum, admodum exiguum est, ideoque toni noxia relaxatio, quæ post maiorem incisionem fit, cavetur, pravaque corruptio impeditur.

§. XVI.

Abscessu sic aperto, *mundificatio* ita peragitur, ut supra dictum est: nempe unguento quodam digestivo, cuius differentes admodum compositiones tam in manibus artificum, quam in scriptis chirurgicis reperiuntur; inter quas tamen ea, quæ sequitur, commendatissima est.

Rec. Mell. Rosar. Vnc. unam.

Terebinth. Vnc. Semis.

Vitell. Ovorum N. II.

Pulv. Myrrh. elect. drach. duas.

Misce fiat unguentum, turunda applicandum, donec apostema sufficienter mundificatum sit.

§. XVII.

Mundificatione satis peracta, *consolidatio* eadem methodo, iisdemque remediis supra commendatis, respiciatur. Notetur autem, quod, quia in paribus sanguiferis laesio est, essentia STAHLII balsamica, quæ hodie usitatissima, maiorem myrrhæ, quam succini & reliquorum ingredientium portionem continere debeat, e. g.

Rec.

Rec. Eff. Myrrh. Vnc. Semis.

Succini drachm. duas.

Olei Hyperici expressi drachm. unam.

Bals. de Copaiva gutt. VI.

Misce. Hæc mixtura est re vera polychresta, si modo dolores non efficeret; ad quos tamen mitigandos cum unguento digestivo, vel oleo myrræ p. d. vel oleo ovoidum misceri potest. Denique notandum est, quod tempore non solum maturationis, sed etiam mundificationis & consolidationis discutientia, vulgo defensiva applicari debeant e.g. emplastrum saponat. BARBETTE camphoratum, vel Norimbergense camphoratum, & similia.

### §. XVIII.

Hac enim methodo cavemus, ne nimius adfluxus humorum contingat, nec abscessus in magnam molem accrescat; imo etiam dolores & ardores, sub maturatione alias maxime saevientes, hac ratione mitigantur. Ex quibus intelligimus, hanc methodum non solum breviorem, sed & longe commodiorem esse priore, quam maior fit congestionis & maturationis apparatus, & tempus incisionis multa cum circumspectione & hæsiatione est dijudicandum. Sed pergitus nunc ad alteram dissertationis nostræ partem.

## CAPVT II. DE VLCERE.

### §. XIX.

**E**st autem *ulcus* solutio continuæ in partibus maxime exsanguibus, a corruptione humorum seroso-lymphaticum, & enata hinc partium solidarum dissolutione originem ducens, atque materiam ichorosam seu sanio-

14 *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

sam, limpidam, acrem excernens. Vide *Illustris PRÆSIDIS Conspect. Chirurgiaæ Tab. de Ulceribus.*

§. XX.

Ex hac definitione, quam de ulcere in medium produximus, facile appareat, quod *ulcus differat ab apostemate*, tam ratione *parvum*, quam *humorum*, qui in utroque excernuntur. Nam *ulcus maxime in partibus exsanguibus*, apostema autem in partibus sanguineis occurrit; in ulcere excernuntur humores ferosi, limpidi, acres; in apostemate autem materia crassa, albicans, interdum flavescentes, excernuntur. Unde falsitas istius axiomatis, frequenter fatis obvii, facile dijudicari poterit, scilicet quod, *ubi pus, ibi ulcus sit.* Rectius omnino dices: *ubi pus, ibi apostema*; ubi autem ichor seu sanies deprehenditur, ibi adest *ulcus.*

§. XXI.

Ulceræ inter se ipsa vario modo differunt. Primum ratione *magnitudinis & loci*, ubi alia maiora, alia minora, alia superficialia, alia profundiora, alia æqualia, alia fistulosa sunt. Deinde ratione *temporis & moris*, quo respectu alia sunt recentia & benigna, alia inveterata & cacoethæa. Porro ratione *symptomatum*, quorum intuitu alia sunt simplicia, alia composita, maligna, qualificata, fetida, putrida, serpiginosa, callosa. Denique ratione *causarum*, quarum ratione alia sunt simplicia, alia scorbutica, alia venerea, alia cancerosa, alia deinde pestifentia.

§. XXII.

*Simplex* ulceratio occurrit in partibus, humores feroſo-lymphales vehentibus; sed intercessio qualisunque sanguinis mutat simplicem talem constitutionem.

tionem. Ac tum quidem, si tenuissimum sanguinis commercium accedit, acres & urentes efficit effetti; intercessio autem sanguinis copiosioris atque spissioris, putridas & acrius dolentes corruptiones producit. Porro ulcera plane peculiarem constitutionem habent, quando concursus specifici fermenti accedit, ut in lepra, scorbuto, lue venerea. Ulceratio *acrior* redditur, quando plus lymphalis materiae accedit: *fermentescens* magis evadit, quando plus materiae salivalis concurrit. Fit autem ulceratio omnium acerrima, quo plus de sanguine participat; hic enim corruptelam falsam in hac miscela mirifice auget. Tandem etiam constitutio partium ad ipsam diversitatem ulcerum multum sane contribuit.

§. XXIII.

Iam ad signa generaliora ulcerum accedo. Contingit autem ulcerus, ut supra dictum, in partibus plerumque exsanguibus, cutaneis, membranaceis, tendinosis, & glandulosis. Excernit materiam tenuem, limpidam, acrem, falsuginosam, rodentem. Ulcera quidem simplicia nullum adeo foetorem spar-gunt, qualificata autem in primis scorbutica foetore putrido sece manifestant, & venerea nauseosum ac situlentum odorem spirant.

§. XXIV.

Hæc sufficient de signis dixisse; ad *causas* ulcerationum progredior. *Remota* est constitutio plethorica, cacochymica; *proxima* est statim humorum lymphatico - serorum. *Causæ occasione* furent contusiones, ambustiones, & perversæ tractationes chirurgicæ laesionum externarum. Nam per accidentis abscessus suppuratorii, imo ipsa vulnera perverse

16 *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

verse tractata in ulcerosam constitutionem transeunt.

§. XXV.

Quod ad *prognosin* attinet, generatim notandum est, quod ulcera quælibet difficilioris curationis sint, longiusque tempus requirant, quam quidem apostemata. Speciatim autem monendum est, quod ulcera simplicia, nec adeo inveterata facilius consolidentur, quam qualificata & inveterata. Præter ea facile intelligitur, ulcera superficialia & minora citius restaurari, quam profunda & maiora. Porro ulcera, quæ ab apostemate male tractato oriuntur, semper contumaciora sunt. Item quæ ex erysipelate nata sunt pessima, quia erysipelas per se ad maturationem non tendit. Quod ad ulcera scorbutica & venerea attinet, sciendum est, ea nunquam sola tractatione chirurgica, sine medicamentis internis, funditus curari. Ulcera quæ cariem ossium pro fundamento habent, prius non curantur, quam caries remota sit. Ulcera glandularum præ reliquis sunt rebellia, tam ob tonum destitutum, quam substantiam glandularum spongioso-tubulosam: quando enim hæc arroditur, orificia multorum meatuum & tubolorum aperiuntur, ex quibus deinde humores copiosius profluunt, qui ulcerationem sustentant. Etsi etiam ad consolidationem veniant, plerumque tamen id contingit tenera cuticula, quæ ob levissimas cauſas facile dilaceratur. Vide *Illustris PRÆSIDIS Conspectum Chirurgiæ Tab. de Ulceribus.*

§. XXVI.

Ordo nunc me dicit ad *tractationem therapeumaticam*. Ad ulcera itaque congrue tractanda & legitimate curanda, eadem quidem methodo, qua apostemata

mata curamus, externe incedimus, videlicet mundificando, consolidando, & adfluxum nimium debito modo avertendo, qui debitus modus eam cautionem exposcit quam maxime, ne legitimus floridi sanguinis aditus, ad consolidationem simpliciter necessarius, excludatur penitus; (nulkum enim ulcus consolidatur, nisi vividum hunc influxum impetraverit) interna autem remedia non raro in subsidium sunt vocanda.

§. XXVII.

Jam quod ad primam indicationem, nempe *mundificationem* attinet, præter *externa* remedia, sæpius *interna* coniungere cogimur; in primis si status eximie cacochymicus accedat, vel ulceræ diu iam duraverint. De utrisque mundificandi remedii, ea breviter hoc loco in medium producemos, quæ tam ratione, quam experientia, satis comprobata sunt.

§. XXIX.

*Interne mundificatio* sequentibus peragitur medicamentis. Ex primis viis crassiores impuritates evanescunt, per lenia laxantia ex massa pilularum de succino CRATONIS, extracto Panchymagogo CROLLII, rad. Jalapp. mercurio dulci; ex quibus medicamentis pilulæ formatæ ad scrupul. unum propincentur, & spatio octo dierum repetantur. Hac ratione etiam adfluxus nimius humorum ad locum affectum revellitur. Diebus intermediis propinentur resolventia & sanguinem mundificantia e. g. essentia alexipharmacæ STAHLII, cum essentia succini, item tinctura antimonii tartarisata, coniunctis pulveribus absorbentibus, antimoniatis fixis, acrimoniam falsam corrigentibus. Interdum etiam decoctum ad mentem

G

PARA-

18 *Dissertatio inauguralis medico-chirurgica*

PARACELSI paratum adhiberi potest, quo ulcus ab intra purgatur. e.g. Rec. Rad. ari pimp. alb. ana unc. unam, Herbæ veronic. hed. terrestr. sanicul. pyrol. ana Mj. C. C. M. Sed hæc medicamenta, licet optima sint, saepius tamen sunt irrita, nisi motus particularis in universalem mutetur, id quod fit, si motus corporis laboriosus accedat, ut transpiratio omnibus diebus promoteatur.

§. XXIX.

Ad externa mundificationis remedia accedo. Impuritates crassiores abstergantur, per medicamenta acriuscula e.g. ex rad. ari, aristolochiæ rotund. gentian. rubr. quæ vel in pulvere, vel etiam in decocto adhiberi possunt. In primis autem decoctum tabaci impuritates removet. Fibrillæ semicorruptæ flaccidæ, livescentes, & caro luxurians, si adsint, per lenia septica absumentur, e.g. per saccharum, alumen ustum, mercurium præcipitatum rubrum; septica autem acriora non adhibeantur. Quando caro luxurians his lenibus septicis non cedit, tunc melius est secando illam absumere, quam septica acriora adhibere. Porro impuritates subtiliores abstergantur, ut ulcus plenarie mundificetur, id quod faciunt lenia digestiva e.g. terebinthina, pulvis mastichis, myrrhæ, imo etiam decoctum tabaci; vel sequens unguentum adhiberi potest:

Rec. Terebinth. coct. Vhc. II.  
Vitell. ovor. N. III.  
Mell. Rosarum Vhc. semis.  
Pulvi Croci Scrupul. I.  
Mastich.  
Myrrh.  
Oliban. ana drach. unam. Mi-

—  
PARRA

Misce fiat unguentum. Hoc unguentum plumaceolis ulceri immittatur, donec mundificatio satis peracta sit. Hac ratione vividus adfluxus sanguinis, ad novam strueturam partis necessarius invitatur.

§. XXX.

Mundificatione satis peracta, ad *consolidationem* progrediendum. Fit autem per balsamica lenia & per ante dicta digestiva; potest autem essentia quædam balsamica applicari, quæ plus de essentia succini participat e. g.

Rec. Eff. Succini Vn. Semis.

Myrrh. drach. II.

Spiritus terebinth. gutt. XXX.

M. Hæc essentia ne dolores producat, unguento digestivo, vel oleo ovorum, vel oleo myrræ p. d. misceri potest. Toto hoc tempore emplastra discussientia camphorata adipicari possunt, præcipue si motus inflammatorius nimius adsit, quadrat spiritus vini camphoratus crocatus. Et hæc quidem ea sunt, quæ de abscessuum & ulcerum indole diversa, tam theorettice quam practice, hac ipsa dissertatione medicochirurgica, dicenda habui.

§. XXXI.

Equidem hic tractationi meæ finem imponere possem; sed liceat mihi pauca quædam addere de *metaschematismo apostematis in ulcus*. Scimus per experientiam, quod apostemata sæpius mutentur in ulceræ; fit autem hoc maxime per inconvenientem & perversam tractationem chirurgicam, dum plerique chirurgorum differentiam humorum & partium, & hinc pendentem utriusque corruptionis differentiam, oppido ignorant; unde unguentum suum

20 *Diss. iug. med. chir. de abscess. & ulcer. indole div.*

uniforme, in omnibus læsionibus tam sanguineis quam exsanguibus applicant; sed hac ipsa ratione damna maxima introducunt. Nesciunt enim, quod partes sanguineæ acris minus, quam partes exsangues tolerent, unde has læsiones perverse tractant. Porro Chirurgi falluntur plerumque in curandis abscessibus, quando eosdem non recte mundificant, sed per medicamina unguinosa constipant; unde impuritates in abscessu retinenter, & pèderentim intemperies falsuginosa oritur, quæ fibras substratas arrodit. Quamdiu itaque hæ fibræ arroso manent, legitima consolidatio non solum non habet locum, sed læsio etiam in dies crescit, & ulcerus magis depravatur. Nam ex his arroso fibris materia ichorosa falsa acris transfudat, quæ partes stimulat, & dolores spasticos invitat. Per spasmum autem invitatum vividus sanguinis adfluxus, ad consolidationem necessarius, impeditur; unde læsio in peripheria pallida evadit, & ulcerus antea simplex in cancerosum facile abit. Quod reliquum est, Deo immortali debitas persolvo gratias, pro viribus, ad hunc laborem absolvendum, clementissime mihi concessis.

T A N T U M.



VIRO NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
DOMINO CANDIDATO  
FRIDER. GOTTLLOB LEVBE  
SALVTEM DICIT PLVRIMAM  
IOANNES IVNCKERVS.

Fertile delegisti & arduum argumentum, CANDI-  
DATE NOBILISSIME, de quo in recentiori de-  
cumentum medicorum iehola ex merito disputari cœ-  
ptum est. Nam si quis vetusta evolvit monumenta, quæ  
fortuna in nos servavit, luculentissime deprehendet,  
medicos ceteroquin clarissimos hanc materiam non pla-  
ne quidem neglexisse, sed simul facili cognoscet negotio,  
de vera ulceris & aposternatis differentia eosdem min-  
ime consona & genuina protulisse, qui vel HIPPO-  
CRATEM interpretari aggressi sunt, vel de integro suam  
de hac materia dixerunt sententiam: & proinde fieri  
non poterat, ut legitima semper utriusque affectus insti-  
tuieretur therapia. Et profecto, si in pluribus aliis mor-  
bis imperita multitudinis errores, perversaque iudicia ac  
incongrua remedia licet intueri, tum in hoc vel maxime,  
quod non pauci a recentioribus nolunt disceere, quid  
abscessum inter & ulcus proprie intercedat, id quod in-  
conveniens eorum ac imperita confirmat tractatio, qua ab-  
cessum *ως επι το πολυ* in ulceris convertunt constitutionem.  
Quasi vero ea lege nobiscum esset transactum, ut omnes  
sapiant tantum veteres, & recentiores ab omni recta ra-  
tione inopes velut umbrae ferantur. Quæ res sane dici  
non potest, quam absonta sit, quantumque detrimenti  
afferat iehola medicae. Si recte enim posuerimus cal-  
culum, multa profecto vitia ex illa perversa multorum

indole in rem medicam inventa intelligemus, & sane  
non exigua in ulceris & apostematis curationem. Id  
quod non rectius, opinor cognoscitur, nisi quis docto-  
rum doctrinas & precepta inter se diligenter contende-  
rit. Sed nolo in praetentia viris, pridem ob haec vapu-  
lantibus, iniquus esse; præsertim cum plura me volen-  
tem & otium & spatii angustia excludit. Ad TE quod  
attinet, CANDIDATE DOCTISSIME, non possum  
non profiteri, præclare TE fecisse, qui dissertatione TVA  
inaugurali de genuino ulceris & apostematis discriminé  
exposueris. Nam horum affectuum consideratio mul-  
tum omnino utilitatis non per se tantum, sed propterea  
quoque habet, quod partibus interioribus ita affectis ma-  
gnam affundit lucem. Quæ quim ita sint, TIBI CANDI-  
DATE DIGNISSIME, ego & TVAM egregiam do-  
ctrinam, quæ omni laude est dignissima, & eam men-  
tem gratulor, quæ omnia refers ad salutem hominum,  
nihilque discere cupis, nisi quod re vera TIBI ornamen-  
to, aliisque emolumento sit futurum. Et quum TE,  
CANDIDATE CLARISSIME, ob egregios in medici-  
na profectus per quinquennium semper amavi, non pos-  
sum TE minoris facere, cum TIBI hodie id contingit,  
ut ab ordine nostro summos honores & privilegia ad  
medicinam faciendam consequaris. Dato igitur amoris  
in TE mei pignore, precor DEVVM OPTIMVM MA-  
XIMVM, ut faveat TIBI porro largissimis suis muneri-  
bus, felices curationum & rerum omnium successus, qui  
industriae TVÆ, doctrinæ & virtutibus sunt pares, cle-  
mentissime largiatur, quo non solum eorum, qui TVA  
causa omnia volunt, spem æquare, sed longe etiam  
superare possis. Vale & salve. D. a. d. XIII. Maii  
MDCCXXXV.

alohri

Die

Die Vorsicht liebt die Welt. Drum wirft sie ih-  
ren Blick  
Aus dunkler Ewigkeit in unsre Zeit zurück.  
Ihr weiches Herz bricht, wenn Krankheit, Angst  
und Noth  
Mit ausgezognem Schwert dem Kreis der Erden  
droht.  
Und darum krönt sie Dich, als ihren liebsten Sohn:  
Denn Wiz und Wissenschaft bekommt nur solchen  
Lohn.

Johann David Lorenz,  
aus Halle, M. C. Opponens.

Sir. XXXVIII. 3.  
Was ist's, das in der Zeitlichkeit  
Des Menschen Herze mehr ergözet?  
Gesundheit und Geschicklichkeit  
Ist's, die er über alles setzt.  
Da sich der Leib begreum befindt,  
Ganz ungehindert zu verrichten  
Die Werke, die ihm nützlich sind,  
Dazu des Schöpfers Hand und die Natur verpflichten.  
Wenn Fieber, das die Nerven zuckt,  
Wenn Schwinducht, so den Leib verzehret,  
Der Stein, so in den Nieren drückt,  
Ja, was die starken Schmerzen mehret  
Wohl gar das Zitterlein uns rüht,  
Das uns in unsrer Arbeit hindert:  
Wird man sogleich zum Arzt geführt,  
Der unser winselnd Ach! und bitter Klagen lindert.

Drum

Drum macht Hygäens ächte Kunst  
Den Arzt bey iederman geehret,  
Ja, sie erwirbet aller Kunst;  
Weil sie dem größten Uebel wehret.  
Da Dich die höchste Würde ziert  
Mein Freund, so magst Du auch erfahren,  
Was Dir der Grad vor Ruhm gebiert  
Von Deinem Ehren-Fest, bis zu den spätesten Jahren.

Gottlieb Herzog,

Der Gottesgelahrheit Besessener.

Hoch Edler Freund Hygäens ächter Sohn!  
So wirst Du auch auf unsren Helicon  
Nun mehr nach Wunsch und nach Verdienst ergözet;  
In dem der Doctor Huth  
Auf Deiner Scheitel ruht,  
Dem Deine Wissenschaft Dir aufgesetzt.  
Ich wünsche Dir dazu von Herzen Glück,  
Zumahl da durch ein höheres Geschick  
Verschiedene jetzt in unsern Mauren sterben;  
So zeige Deine Kunst!  
Du wirst Dir Lieb und Kunst  
Dadurch bey jedermann gewiß erwerben.  
Gib dem der frank die rechte Arznei,  
Und mache ihm von seiner Schwachheit fren,  
Errette ihm von allen Leibes Nöthen.  
Bedenke jenes Wort,  
Das uns der Höchste dort  
So ernstlich anbefiehlt: du sollst nicht tödten.

Inzwi-

Inzwischen aber sey GOTTE für und für  
Mit seiner Gnaden Obhut über Dir  
So wirst Du gut, so wirst Du glücklich Heilen  
So wird mich Dein Gedeihn  
Auch ebenfalls erfreun  
Und Du wirst Dein Vergnügen mit mir theilen.

Gott hilf Kost  
aus Halle B. R. B.

Greund ich bin nebst Dir vergnüget,  
Weil Dein froher Ehren Tag,  
Es nach Wunsch und Hoffnung füget,  
Dass mein Kiel berühren mag,  
Was vor Eifer Du bewiesen  
In der Arzte Wissenschaft;  
Um den Nutzen zu genießen,  
So an saurer Arbeit hafft.  
Es wird Müh und Fleiß belohnet  
Wo man ernstlich nur studiert,  
Weder Schweiß noch Kräffte schonet  
Und das Werk zu Ende führt.  
Deshalb kanst Du heute prangen,  
Da Dich Meditrine schmückt:  
Auch zugleich den Ruhm erlangen,  
Welchen selbst kein Neid erstickt.  
Hilf Morbonens Reich besiegen:  
Spüre in den Euren Glück  
Die, so frank zu Bette liegen,  
Sez in ihren Stand zurück.

Ludewig Reinhard  
aus Halle, B. R. B.  
D. Mein

Sein Freund, Du gehst jetzt hin, den höchsten  
Schmuck zu nehmen,  
Du thust auch recht daran. Doch höre nimm von  
mir  
Noch diesen Casum mit, ich weiß er dienet Dir,  
Du darfst Dich dessen nicht in Ansehn meiner  
schämen.  
Hier ist er, höre nur: Herr Doctor lobesan,  
Nahm jüngst in seine Cur ein frankes Mäd-  
gen an.  
Er fragte sie vorher: Mein Kind, was fehlt dir  
dann?  
Wo thut es dir denn weh? liegst du schon lange  
Zeit?  
Allein, das Mägden gab (vielleicht aus Ehrbar-  
keit)  
Auf seine Fragen ihm nichts anders zum Bescheid,  
Als nur: Ich weiß es nicht. Der Arzt nach seiner  
Pflicht  
Sprach drauf: So nimm mein Kind, das Kraut:  
Ich weiß es nicht,  
Legs auf: ich weiß nicht wo, so wird sich also  
dann  
Der herbe Krankheits-Schmerz verziehn, ich weiß  
nicht wann.  
Den so bezahlt und heilet man,  
Dem, welcher in der Beichte leugt;  
Und wer dem Arzt etwas verschweigt.  
Indes bestieg nunmehr, mein werth geschätzter  
Freund,  
Der höchsten Staffel Stein in Meditrinens Tempel  
Zum Ruhm der iezigen, der Nachwelt zum E-  
Exempel,

Und

Und jedem, welcher Dir und Deinem Glücke  
feind  
Müß' einmahl Deine Hand das Hirn-Geschwüre  
stechen  
So wird das Sprichwort bald mit Wahrheit von  
Dir sprechen  
Dass Dich Galenus Kunst zu einem Mann ge-  
macht  
Zu dem die halbe Welt die Kranken hingebraucht.

G. A. M.

aus Halle.

---

So macht Geehrtester! Dein Tugend = voller  
Mund  
Dein Witz, Geschicklichkeit anricht die Wahrheit  
kund.  
Dein theurer Juncker selbst rufft von der Eh-  
ren-Bühne,  
Wie tapfer Du vor Ihm bestanden, und erschie-  
nen,  
Er zeiget Deine Schrift Hygeens weisen Kiel,  
Und selbst Hygea sagt: Dis ist das rechte Ziel,  
Das ich Dir zugesucht, da Dein Verstand und  
Gaben,  
Witz, wie Gelehrsamkeit, Dich nunmehr können  
haben.  
Heut ist der Freuden-Tag! da Dir die Ehren-Cron  
Vor Fleiß, Geschicklichkeit gegeben wird zum Lohn,  
Wohl.

Wohlan ! so wünscht mein Herz : GOTT wolle  
Dich beglücken  
Mit stetem Wohl und Heyl, durch seine Krafft er-  
quicken ;  
Er segne Dein Amt, er thue wohl an Dir,  
So kann ich als ein Freund mich freuen für und  
für ;  
Er segne Medicin, und laß in allen Dingen  
Nichts, als erwünschte Lust, Vergnügen, Freunde  
bringen.  
Zulezt nimm diß inacht : Mein werth-geschätz-  
ter Freund,  
Und sey nicht missvergnügt, denn es ist gut ge-  
meynt,  
So bald Cupido nur wird seine Fahne schwingen  
Wirst Du, Geehrtester, nach einer Liebsten  
ringen.

Salomo David Bauer  
B. R. B.



Halle, Diss., 1745 (1)

VD 18



Sb



DISSERTATIO IN AV

# ABSCESSUUM INDOLE

AVSPICE  
CONSENSV AT  
AMPLISSIMI  
IN ALMA REC  
PR

VIRO ILLVSTRI EX  
LEN  
DN. JOANNE

MEDICINAE DOCTORE  
PVBLICO

DECANO H. T  
DOMINO PATRONO PRÆC  
PARENTIS INS

PRO LI  
SVMMISQVE IN ARTE MEDIC  
DOCTORALIBVS LE

H. L  
D MAII A  
PVBLICO AC PLACIDO ERVDI

AVC  
FRIDERICH GO  
HAL

HALAE MAGI  
Typis IOANNIS CHRISTIANI

